

158. *Quia hodie excommunicatio non est ordinaria, sed extraordinaria ac subsidiaria poena.* — Eo quod licet olim de jure communi censura excommunicationis fuerit remedium ordinarium, quo pro executione sententiæ suæ uti debeat iudex ecclesiasticus, arg. c. *Dilect. de Sentent. excom.* in 6, districtio vero personalis, ac brachium sæculare fuerit remedium extraordinarium, seu subsidiarium, utpote tunc solummodo adhiberi solitum, quando censuris nihil efficiebatur, uti loc. cit. n. 31, bene observat Fagnanus citans sacræ Congregationis decretum: tamen hodie post concilium Tridentinum res inverso ordine se habet, ita ut censura excommunicationis sit remedium extraordinarium secundarium, ac quasi subsidiarium; executio vero realis, aut personalis sit remedium ordinarium, ac primum; hoc ipso, quod hodie iudex ecclesiasticus censuras adhibere non queat, quando executio realis aut personalis fieri potest; prout totum clare patet ex præfato concil. Trident. sess. 25, *de Reform.* cap. III, ibi: « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magna que circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter etc. in causis judicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, et quocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicii, propria auctoritate ab ipsis fieri potest, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expediri videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque etiam laicos per multas pecuniarias, quæ locis iis ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque districtioem per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod, si executio realis aut personalis adversus eos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia: tunc etiam eos anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi

executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum. Sed si dictæ executioni facile locus esse possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti; si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione etiam per edictum, id postulet. »

159. *Tertio, excommunicatio.* — Tertia tandem conclusionis n. 156 positæ pars, videlicet, quod monitis et aliis mediis nihil proficientibus, renitentem etiam censura excommunicationis ad nubendum compellere possit ac debeat iudex ecclesiasticus, est communis, et hodie controversia caret, utpote comprobata universaliter tribunali praxi; patetque clare tum ex c. *Ex litteris.* 10, h. t. ibi: « Si non acquieverit monitis, ecclesiastica censura compellas, ut ipsam in uxorem recipiat; » tum ex concil. Trident., loc. cit. § *Quod si executio, etc.*

160. *Si iudex ecclesiasticus carceres, aut brachium sæculare ipsemet non habet, an teneatur ante censuras invocare brachium laicum.* — Sed quæres, quid juris, si iudex ipsemet proprium sæculare brachium, aut familiam, qua renitentem capere, carcerare, aut personaliter perstringere posset, non habet? An tunc ante censuram teneatur implorare iudicis laici brachium, aut familiam? An vero hoc neglecto statim valeat censuras adhibere? Ratio dubitandi, et negativam tenendi, videlicet, quod censuras adhibere non possit, nisi prius brachium sæculare iudicis laici imploret, esse videtur; tum quia juxta dicta supra n. 158, universaliter loquendo post concilium Tridentinum loc. cit. Excommunicatio non amplius est medium ordinarium, sed extraordinarium; tum quia id ipsum insinuare videtur concilium loc. cit. ubi dicitur, quod iudex ecclesiasticus ante censuram personarum districtioem per proprios, vel NB. *alienos executores* facere debeat. Favet etiam ratio concilii Tridentini, loc. cit. ad initium statim posita.

161. *Non tenetur: quamvis possit invocare; et invocatus iudex laicus assistere debet.* — Nihilominus respondetur iudicem ecclesiasticum in casu, quo ipse manu, aut familia armatis caret, pro executione sententiæ suæ non teneri implorare brachium iudicis sæcularis, quamvis, si id ei expedire videbitur, facere possit. Patet responsio ex sæpe allegato textu concilii Tridentini, sess. 25, *de Reform.* cap. III, ubi tunc tantum a censuris abstinendum vult, quando executio realis

aut personalis « ab ipsis iudicibus ecclesiasticis propria auctoritate fieri poterit; » ergo a sensu contrario si « ab ipsis propria auctoritate fieri non poterit, » abstinere non tenentur. Dein, quando præscribit districtioem personarum ante adhibitas censuras per proprios, aut *alienos executores* faciendam, non dicit, quod ea a iudicibus ecclesiasticis *necessario* fieri debeat, sed tantum « quod liceat eis, si expedire videbitur; » consequenter non tenentur; cum nemo teneatur uti privilegio sibi ad libitum concesso, præsertim si expedire non videtur, prout sæpe contingit; cum ex eo, quod iudices ecclesiastici invocent brachium iudicum laicorum, hi non raro præsumant petere revisionem actorum, aut cavillare ejus sententiam, vel partes ad inobedientiam, et contumaciam excitare, etc. Qui tamen iudices ad exhibendum brachium statim, ac invocantur, tenentur, et nolentes exhibere a iudice ecclesiastico spiritualibus poenis cogi possunt; Covarruvias, *Pract. quæst.* q. 10, n. 1, arg. c. 2, *de Maledicis*, et ibi Glossa v. *Contra eum.* juncto can. *Administratores.* cau. 23, q. 5.

162. *Excommunicatio ante carceres lata certo valet.* — Porro illud etiam observandum cum Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 96, n. 39, et in concil. Trident. ubi supra n. 157; Gutierrez, *Marc. Ant. Genu.* et aliis, quod, si episcopus neglectis aliis mediis etiam ad manum habitis illico censuras pro executione sententiæ contra reum adhibeat, illicite quidem, tamen valide agat, censuræque sic inflictæ valeant, et vim suam habeant; uti cum aliis docet Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 96, n. 39, et in concil. Triđ., sess. 25, *de Reform.* cap. III, n. 21, ubi plures alios citat. Ratio est, quia concilium, loc. cit. non annullat censuram latam contra modum ibidem præscriptum; sed tantum injustam, ac illicitam declarat. Nam universaliter textus præscribens modum in quavis executione faciendam, hanc admittit interpretationem, quod executio aliter facta non subiacet nullitati, arg. l. A. D. *Pio.* § *In Vendicatione.* ff. *de Re judic.* et ibi Bartolus, n. 8.

163. *Renuens nubere finaliter cogi non potest, et ideo absolvi debet ab excommunicatione.* — Quæritur III. Quid juris, si adhibitis omnibus mediis, etiam censuris, reus nihilominus renuat nubere? Resp. I. Talem finaliter non posse cogi ad nubendum; sed de-

bere dimitti et absolvi; præsertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex futuro matrimonio timendæ forent perpetuæ inimicitiae, jurgia, scandala, etc.; Sanchez, lib. I, disp. 29, n. 4 et 8; Glossa, fin. in c. 2, *de Adult.*; Covarruvias, *de Sponsal.* p. I, cap. IV, n. 3, et seqq.; Joan. Andreas, in c. *Ex litteris.* 10, h. t. n. 12, et ibi Anchoranus, n. 5; Gutierrez, *de Juram.* p. I, cap. LI, n. 4, cum communi aliorum, arg. c. *Requisivit.* 17, h. t. ibi: « Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere; » quod intellige de finali et nimia coactione, juxta dicta supra et c. *Ex litteris.* 10, h. t. ubi censuris compelli jubetur renuens nubere, « nisi rationabilis causa obstiterit: » atqui revera videtur obstare ratio, si iudex ex circumstantiis prudenter colligere potest, præfatum animi aversionem; ergo: præsertim cum expediat, ut ecclesia ad evitandum majus, admittat minus malum; majus autem videtur malum, oriri perpetuas inimicitias, ac jurgia, quam frangere sponsalia. Accedit, quod iudex a coactione nimia et finali desistens prosit ipsi etiam actori, utpote cujus damnum grave ex matrimonio petito securum avertit, sicut prodest et lavet denegans gladium petenti ad se occidendum, Sanchez, loc. cit.

164. *Vel omnino non excommunicari censura, si ea nihil efficit.* — Imo ob dicta jura et rationes Sanchez, loc. cit. n. 4 et 7, plures alios citans, Covarruv. *de Sponsal.* p. I, cap. IV, § 1, n. 5, et alii volunt iudicem omnino abstinere posse a censura, si prudenter prævidet, quod illa nihil efficiat, uti prævidere potest, si animi aversio nimia dignoscitur.

165. *Non requiritur exacta probatio, sed sufficit arbitrium iudicis ad cognoscendum, ex futuro matrimonio oriri scandala.* — Porro, Non est absolute necesse, ut juridice constet iudici de scandalo, aut alterius gravi mali periculo secuturo ex futuro matrimonii contractu, sed sufficit, si iudex ex circumstantiis prudenter arbitretur, scandala, aut continuas inimicitias esse timendas. Sanchez, loc. cit. n. 6, arg. c. *Requisivit.* h. t. ibi: « Monenda est potius quam cogenda, » et c. 2, eod.

166. *In excommunicatione per annum insordescens processatur ut suspectus de hæresi: non procedit in causa matrimoniali, nisi quis adigatur ad restitutionem, aut compensatio-*

*nem damni.* — Objicies contra conclusionem, textum concilii Tridentini, sess. 23, de *Reform.* cap. III, ubi ad finem de excommunicatis sic habet: « Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo censuris innexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit; » ergo idem dicendum de illo, qui jam excommunicatus, ut nubat, nubere renuit, et in excommunicatione insordescit. Resp. hunc textum in causa matrimonii, utpote in quo libertas de essentia est, arg. c. 17, h. t. cum concordantiis, non procedere; cum jura ipsa velint, neminem finaliter esse cogendum ad matrimonium, esseque abstinendum a censuris, si rationabilis causa obstiterit per jura supra n. 163, citata. Quibus accedit universalis Ecclesie praxis et consuetudo, optima legum interpretis, l. 37, ff. de *Legib.* quæ habet, ut dicta concilii dispositio contra insordescentem in excommunicatione, ob non contractum matrimonium lata, minime observetur: quamvis observari possit ac debeat, si in causa matrimoniali reus excommunicatur ex eo, quod renuat seductæ dare dotem, aut compensare damnum eidem per deflorationem injuste illatum; quia ad hoc finaliter cogi potest ac debet; cum ad hujus executionem libertas essentialiter non requiratur, uti ad matrimonium. Et ex hoc discrimen inter coactionem ad matrimonium, et coactionem ad dotandum, aut restituendum est bene notandum.

167. *Remittens alteri obligationem nubendi potest exigere compensationem pecuniariam, si ex tali remissione damnum patiat.* — Quæritur IV. An ex eo præcise, quod quis obligationem nubendi, qua alter eidem ob sponsalia obstrictus est, remittat, prætere, aut pacisci possit compensationem pecuniariam, dicendo v. g. si mihi das centum aureos, remittam tibi obligationem mihi nubendi, quam per sponsalia mecum inita, contraxisti, secus te non dimitto? Item an iudex ex eo præcise, quod quis nubere renuat, ad compensationem pecuniariam adigere renuentem valeat? Resp. Certum est, quod, si ex remissione talis obligationis pars remittens patiat aliquod damnum v. g. quia æque commodas nuptias acquirere amplius non potest; vel quia jam multas

fecit expensas, possit petere compensationem pecuniariam ab altera parte, causam resiliendi justam non habente, possitque, ac debeat iudex tali absque legitima causa nubere renuenti dictam compensationem imponere, Sanchez, lib. I, disp. 30, n. 14; Barbosa, in c. *Gemmam*, h. t. n. 9 et 10, casu 4, n. 181, et alii. Videtur carere controversia: Imo tenetur talis ante omnem iudicis sententiam damnum injuste illatum resarcire; cum quis injuste damnificans ad hoc teneatur, arg. sæpe cit. l. un. c. de *Sent. quæ pro eo*, et c. fin. de *Injur. et dam.* Ratio patet quia cum contrahens sponsalia ex justitia teneatur servare fidem, et sine causa legitima eam non servans alteri faciat injuriam; ac insuper, uti supponitur, injuste inferat damnum; utique pro hoc pari innocens satisfactionem prætere potest, et iudex, ut præstetur, mandare debebit. Si matrimonium, ad quod finaliter cogi non potest, sine legitima causa remittat; siquidem iudex ex officio tenetur compellere ad reddendum cuique quod suum est, et ex justitia debitum. Imo tenetur talis ante omnem iudicis sententiam damnum injuste illatum resarcire, cum quis injuste damnificans ad hoc teneatur, per jura primam citata.

168. *Prout ordinariè contingit.* — Inferitur, quod quia ex dissolutione sponsalium alteri parti præsertim sponsæ ordinariè aliquod consurgit præjudicium et damnum, utpote quæ ex eo, quod jam aliquando fuerit alteri desponsata, non amplius ita æstimatur, sed jam aliquantulum vilipenditur, et suspicionibus subjacet, indeque nuptias æque honestas ac commodas acquirere amplius nequeat, ordinariè pro remissione obligationis dictæ, compensationem pecuniariam prætere, ac pacisci, iudexque concedere possit. Imo sine causa resilientem ad eam compellere debeat; quamvis si pars innocens nimium præterderet, moderari, ac arbitrio sub justo debitam quantitatem taxare posset, et deberet, nisi pars resilientis prætensionem etiam immodicæ libere consentiret: « Scienti enim et consentienti non fit injuria neque dolus » c. *Scienti*, de *Reg. jur.* in 6.

169. *Imo potest talem compensationem exigere, etsi nullum damnum patiat.* — Resp. II. Etiam si ea dissolutione sponsalium pars innocens nullum patiat damnum, potest nihilominus ab altera parte, quæ sine legitima causa ab obligationis vinculo liberari vult,

aut nubere renuit, satisfactionem prætere, ac pacisci; potestque eam iudex non tantum concedere, sed etiam debet ad eam compellere reum, si nullam aliam legitimam habet resiliendi causam, quam quia nubere huic, cui promisit, non vult, eamque aversatur. Hanc conclusionem docet Gobath. tract. X, cas. 4, a. n. 177, eamque praxi plurium diocesium firmatam dicit; idem amplius cas. 6. ibid. docet: et ex consequenti idem tenent etiam omnes alii qui docent, quod sponsalibus adjici possit pœna solvenda ab eo, qui absque legitima causa a sponsalibus resilit, probarique potest iisdem fundamentis de quibus vide § seq. a. n. 188. si enim ante sponsalia potest apponi pœna, ne quis injuste resiliat, etiam potest post illam apponi, et dici: Non te dimittam sine justa causa, nisi pendas mihi tot pecunias.

170. Confirmatur I. Potest pars innocens ex dissolutione sponsalium nullum damnum patiens petere, ut absque legitima causa injuste resilientis, aut resilire volens corporaliter puniatur, imo etiam excommunicetur, debetque iudex ita petenti deferre, imo ipsa instantiam non faciente dictas pœnas ex officio infligere per dicta supra num. 156 arg. c. *Ex litteris*, 10 h. t. et concil. Trident. sess. 23, de *Reform.* cap. III. Ergo etiam poterit pœnam pecuniariam pro sua satisfactione prætere. « Nam cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus, » l. *Cui*, 53. de *Reg. jur.* in 6. pœna autem pecuniaria levior est quavis pœna corporali, l. *In servorum*, §. fin. ff. de *Pœnis*. consequenter potest etiam, quin et debet iudex ita petenti deferre, et nolentem adigere, ut injuste resilientis satisfactionem pecuniariam præstet parti innocenti; præsertim cum alias de jure iudex in pœnis infligendis semper, quantum fieri potest, debeat incipere a pœna minori. arg. c. *Veritatis*, juncta Glossa vers. *Excommunicationis. de Dolo et contum.* et c. *Quoniam*, in aliis, ut *lite contestata*, ac l. *Relegati*, ff. de *Pœnis*. dictumque est amplius lib. II, tit. XIV, de *Dolo et contum.* § 5, n. 128.

171. Confirmatur II. Potest juxta omnes, pars innocens injuste resilientem accusare, item potest petere, ut carceretur, excommunicetur, etc.; ergo, ne hoc faciat, potest exigere pecunias; cum juxta communem doctorum, teste Gobath. loc. cit. n. 180. pro jure accusandi licet pacisci de summa pecuniaria.

172. Confirmatur III. Qui absque legitima

causa a sponsalibus resilit, et nubere renuit, injuste agit, gravemque pretio æstimabilem infert injuriam parti innocenti, uti cum communissima aliorum bene docet Sanchez lib. I, disp. 27, n. 2. eo quod omnis contractus, qualis etiam sunt sponsalia, ex justitia obliget, per vulgaria: ergo pro satisfactione hujus injuriæ competentem exigere potest, et iudex ad instantiam mandare debet satisfactionem etiam pecuniariam, cum universaliter injuriæ illatæ etiam satisfactione pecuniaria redimi ac puniri possint ac soleant, ut patet in aliis contractibus, uti notat Sanchez ubi supra n. 14.

173. *Licet minus, cui plus licet.* — Confirmatur IV, praxi tribunali, qua constat, quod ab injuste resiliente petatur, et acquiratur compensatio pecuniaria, etsi de damno non doceatur. Gobath. tres enumerat dioceses hanc praxin habentes.

174. *Solvuntur instantiæ.* — Objicies. Matrimonium est quid spirituale, et æstimationem non recipit; ergo pro dimissione illius ab altero promissi exigere aut accipi nil potest. Resp. concesso ant. negando consequ. et suppositum; quia in tali casu pars innocens non petit aliquid principaliter pro matrimonio dimittendo, sed vel pro damno emergente, vel (si hoc abest) pro injuria sibi illata aut inferenda, vel pro remissione juris reum accusandi, eumque pœnis subjiciendi; quæ cuncta æstimationem accipiunt.

Dices. Matrimonia debent esse libera, arg. c. *Gemmam*, h. t. atqui talia non essent, si nubere renuens sub pœna pecuniaria ad illud adigi posset; cum talis timore pœnæ matrimonium coactus iniret: ergo. Ad hanc instantiam patebit. § seq. n. 191 et 194.

175. *Compensatio pecuniaria pro dimissione tali debita, a quo, et quomodo taxanda?* — Interim notandum, quod, si nullum ex dissolutione sponsalium sequatur damnum parti innocenti, satisfactio pecuniaria pro sola injuria ob injustam sponsalium fractionem illata, debet esse moderata, et non excessiva; consequenter non arbitrio petentis, sed iudicis pro diversitate personarum, ac circumstantiarum prudenter taxanda; nisi forsitan pars resilientis libere consentiat plus æquo petenti parti innocenti; quia cum quis reum suarum moderator et arbiter existat. l. *In re mandata*, C. *Mandati*, utique plusquam debet, libere dare potest, et forsitan ideo facit, ut cito liberetur a vinculo et vexa, aut ut alteri, cui vult, cito nubere valeat. Nec

exinde ulla irrogatur et injuria; cum « scienti et consentienti non fiat injuria neque dolus, » c. *Scienti*. 27. de *Reg. jur.* in 6.

## § VI.

## DE ARRHS, PŒNIS, ET CONDITIONIBUS CONTRACTUI SPONSALITIO APPOSITIS.

176. *Arrha quid? quomodo differat a pœna?* — Quæritur I. An, et quomodo in contractu sponsalicio possit tradi arrha, et ad quem pertineat matrimonio secuto, vel non? Ante responsionem notandum arrham ad propositum esse id, quod traditur sponso, vel sponsæ in argumentum seu signum, atque firmationem sponsalium contractorum. Bosco statim infra cum aliis. Est autem inter arrham et pœnam hæc differentia, quod arrha sit aliquid traditum, amittendum, vel restituendum ab eo, qui injuste resilit. Pœna vero sit aliquid in futurum primum solvendum ab injuste resiliente, ut cum Sanchez lib. I. de *Matrim.* disp. 35, n. 4. et aliis bene observat Bosco, in *Theolog. sacram.* disp. 11, sect. 1, concl. 11, n. 329. H. N.

177. *Arrha licite apponitur sponsalibus.* — Resp. I. Licite et valide in contractu sponsalicio tradi, et accipi possunt arrhæ; Sanchez, loc. cit. n. 2. ubi dicit, convenire in hoc doctores; Bosco, loc. cit. concl. 10; Pirhing, h. t. n. 25; Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 1, punc. 12, § 1, n. 4; Alciat. Bartol. cum communi et certa aliorum, ob clara jura l. *Arrhis*. 3. et l. *Mulier*. 5. C. de *Sponsalibus*, ubi ad longum disseritur de *Arrhis*, simulque disponitur, quando et quomodo sint restituendæ.

178. *Et quidem in quavis quantitate et specie?* — Resp. II. Arrhæ tradi possunt in quavis quantitate, ac specie, v. g. etiam fundus, domus, etc. arrhæ loco tradi potest. Sanchez, lib. I, disp. 35, n. 9 et 12; Bosco, loc. cit. n. 318; Hostiensis, in *Summa*, de *Sponsal.* § 1, n. 1; Covarruvias, de *Matrim.* p. II, cap. III, § 7, n. 11; Castro Palao, loc. cit. n. 6. et alii sat communiter contra Joan. Andream in c. *Gemma*. 29, h. t. n. 9, et ibidem abbatem n. 8, ac alios volentes quod, si arrhæ tanta sit quantitas, ut considerata qualitate personarum timor eam amittendi adigat ad matrimonium, ea non licite, nec valide apponi valeat. Probatur autem conclusio nostra ex eo, quod leges num. præced. alle-

gatæ traditionem arrhæ concedentes, universaliter ac indistincte loquantur, ut legenti patet, consequenter indistincte ac universaliter intelligi debeant, arg. l. *De pretio*. ff. de *Public. in rem act.* Confirmatur, juxta leges n. 177, allegatas potest conveniri, ut resiliens a sponsalibus arrham in triplo, vel quadruplo restituat; quin lædatur necessaria libertas matrimonii: ergo statim ab initio tanta quantitas arrhæ tradi potest. Eadem conclusio magis adhuc firmabitur ex conclusione n. 188, ponenda, ubi dicemus, etiam pœnas apponi posse sponsalibus solvendis ab injuste resiliente.

179. *Injuste resiliens perdit arrham, nubens vero illam iterum acquirit.* — Resp. III. Arrham, quam in contractu sponsalicio quis tradit, ipso facto perdit, si injuste a sponsalibus resilit; matrimonio autem secuto de novo acquirit; Sanchez, lib. I, disp. 36, n. 2; Covarruvias, de *Matrim.* p. II, cap. III, § 7, n. 13; Sylvester, v. *Sponsalia*. q. 9, arg. cit. l. 3, et l. 5, C. de *Sponsal.* Ratio est, quia arrha traditur in signum, et quasi pignus futuri matrimonii, sicut traditur in contractu venditionis; ergo, sicut si quis a contractu venditionis sine legitima causa resilit, arrham perdit, pr. *Instit. de Empt. vendit.* et contra illam contractu adimpleto iterum acquirit, pariter de arrha in signum matrimonii tradita dicendum erit.

180. *Nisi aliud habeat consuetudo. Arrha esse non præsumitur, nisi exprimat.* — Observat tamen bene Layman, lib. V, tract. X, p. I, cap. 1, n. 8, consuetudine receptum esse in pluribus locis, præsertim Germaniæ, quod etiam secuto matrimonio arrha aliquando tradita non amplius restituatur, sed maneat recipienti, sicut jocalia, et alia ex sponsalitia largitate invicem donata, quæ cæteroquin ab arrhis in hoc distinguuntur, quod non dentur in signum aut pignus futuri matrimonii, sed in signum affectus vel amoris: imo quando quid datur, et non exprimitur, quod detur in signum seu pignus matrimonii (*auf die Ehe*), censetur ex sponsalitia largitate datum, ut bene advertit Sanchez, lib. I, disp. 35, n. 1, et sequitur Bosco, loc. cit. n. 312, ac alii.

181. *Accipiens arrham in duplo restituere debet, si injuste resilit.* — Resp. IV. Quando unus solus tradit arrham, et recipiens illam injuste resilit a sponsalibus, in duplum restituere debet, id est, arrham quam accepit, et insuper tantumdem de patrimonio suo,

Sanchez, lib. I, disp. 36, n. 7; Pirhing, h. t. n. 25; Abbas, in c. *Gemma*. h. t. n. 8; Layman, loc. cit. et communis aliorum, arg. l. *Mulier*. 5. C. de *Sponsal.* ubi summarium sic habet: « Qui contraxit sponsalia, et ea non vult exequi; si est ætatis legitimæ, arrhas, quas accepit, restituet duplicatas. » Concordat textus statim adducendus.

182. *Nisi sit minor ætate.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi sit minor; » quia limitationem hanc citata lex ipsamet apponit, tam in summario, quam textu: in summario illis verbis: « Si minor, solum, quas accepit. » In textu legis vero illis verbis: « Mulier juris sui constituta, arrharum sponsalium nomine usque ad duplum teneatur, id est, quod accepit, et aliud tantumdem, nec amplius, si post completum vigesimum quintum annum, vel post impetratam veniam ætatis hujusmodi arrhas accepit. In simplum autem, id est, tantummodo in id, quod accepit, si minoris ætatis est. » Et hæc de jure, ac seclusa speciali conventionione.

183. *Possunt convenire partes, ut in quadruplo restituatur.* — Nam possunt convenire inter se sponsi, quod arrhæ etiam in majori quantitate, v. g. in triplo, vel quadruplo restituantur, ut aperte habetur citata l. *Mulier*. ibi: « Nisi specialiter ex communi consensu inter contrahentes de quadrupli ratione placuerit. »

184. *Utraque pars dare et accipere potest arrham.* — Resp. V. Si uterque contrahentium arrhas dedit, ac recepit (prout bene fieri posse docet Sanchez, lib. I, disp. 35, n. 13; Bosco, loc. cit. n. 321, et alii: cum leges absolute loquantur) tunc injuste resiliens perdit, quas dedit, et debet restituere, quas accepit. Sanchez, loc. cit. disp. 36, n. 9; Bosco, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 25, et alii, arg. cit. l. *Mulier*. 5. C. de *Sponsal.* ubi universaliter dupli restitutio imponitur accipienti arrhas, si injuste resilit; quæ restitutio observatur, si modo in conclusione posito fit. Limita conclusionem in minore, uti. n. 182.

185. *Justa ex causa resiliens non in duplo sed in simplio restituere tenetur arrham.* — Resp. VI. Quæ dicta sunt de amissione arrhæ ac restitutione in duplum intelligi debent, si injuste quis resilit a sponsalibus: si quidem quando ex justa ac legitima causa id facit, arrham, quam dedit, non perdit, nec receptam in duplum restituere tenetur,

sed satisfacit, si, quod accepit, restituat. Sanchez, lib. I, disp. 36, n. 4, dicens, ita docere universos; Layman, loc. cit. n. 8; Eugel, h. t. n. 7. cum communi, arg. l. *Arrhis*. 3. C. de *Sponsal.* Ratio est, quia cum amissio arrhæ traditæ, et in duplo restitutio acceptæ constituta habentur in pœnam; pœna autem esset non possit, ubi non est culpa l. *Sancimus*. 22. C. de *Pœnis*, palam est, eum, qui legitima ex causa, adeoque absque culpa resilit, præfatam pœnam non incurrere consequenter nec arrham traditam amittere, nec receptam in duplo restituere debere, sed satisfacere, si, quod recipit, restituit.

186. *Imo nec in simplio, si pars altera culpabiliter ponat causam, quod matrimonium non sequatur.* — Imo si pars arrham tradens, culpabiliter ponat causam, quod matrimonium non sequatur, aut recipiens arrham juste resiliere possit, v. g. quia est in culpabili mora matrimonium contrahendi, et interea alteruter sponsorum moritur; vel quia sponsa fornicatur, aut alias injuste ponit impedimentum matrimonii, acceptam arrham etiam in simplio restituere non tenetur, sed retinere potest tam eam recipiens, quam hæredes ejus. Sanchez, lib. I, disp. 36, a. n. 4; Sylvester, v. *Sponsalia*, q. 9, dicto 4, et Glossa in l. *Arrhis*, in l. *Mulier*, de *Sponsal.*, arg. cit. l. *Arrhis*, C. de *Sponsalibus*: ubi postquam statuit legislator, ut arrhæ, sponsaliorum nomine datæ, si interea sponsus, vel sponsa decesserit, restituantur, statim addit: « Nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, defuncta persona jam præbuit. » Ratio est, quia, cum talis persona sit in culpa, quod matrimonium non sequatur, merito sentit pœnam, amissionem nempe arrhæ; sancitur enim « ibi esse pœnam, ubi et noxa est, » cit. l. *Sancimus*, C. de *Pœnis*.

187. *Secundum aliquos, non licet apponere pœnam sponsalibus.* — Quæritur II. An sponsalibus etiam apponi possit pœna conventionalis solvenda ab eo, qui ab illis resilit: v. an sponsi tali, aut simili modo convenire possit? « Quicumque inter nos a sponsalibus resilit teneatur alteri in pœnam solvere centum florenos. » Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est, quod utrumque jus talem appositionem pœnæ prohibere, ac irritare videatur, addita causa; quia libertas debet esse in contrahendo matrimonio, » quæ libertas læderetur per pœnæ appositionem,